



ANTIGONVS, inter Alexandri Primores clarus, fortetenuit Phrygiam maiorem, mortuo Alexandro: verumtamen post sex annos Asiam occupat, regnatque in ea annos 18. quorū initium fuit annus à mundo condito 3645. ante Christum natum 317. Contra Eumenem pugnavit, fugavit, obsedit: obsidionem soluit, ob auxilia ab Antipatro ad Antigonom missa. Altero bello vicit Eumenem cum Argyraspidibus: qui ignaris ducibus legatos ad Antigonū mittunt, vt sua reddi iubeat: redditurū se pollicetur, si Eumenem sibi tradant: Eumenes fugere tentat, concursu multitudinis retrahitur: retractus facultatem orandi petit: orat: cum non obtinet, milites suos deuouet: hi produnt eum, quem verecundia prioris amicitiae in conspectum suum venire prohibet Antigonus, & custodibus assignari praecipit. tandem dum in belli praedam, in cuius periculum solus descenderat, socios Ptolemæum, Cassandrum, & Lysimachum admissurum se negat Antigonus, ab eisdem bello victus occiditur. Vide Iusti. li. 13. 14. & 17.

DEMETRIVS, qui & Polyorctes, successit Antigono patri in regno Asiae, anno mundi 3663. ante Christum natum 299. hic à Ptolemæo victus est, deinde Ptolemæum vicit, vt in Ptolemæo diximus. Cleonymum fudit, Thebas cepit: Macedoniae regnum sex annis tenuit, Philippo & Alexandro, Cassandri filiis, prius à se per insidias occisis. Pyrrhus victo Demetrio Macedoniae regnum occupat. Demetrius Seleuco se tandem cum Asiae regno dedit. Vide Iusti. li. 15. 16. 17. & Plutar. in Pyrrho & Demetrio.